

jure, ac debita sollicitudine præesse debeat, non ut eos tantum catholicæ religionis unitate concludat, sed generali circumspicione, etiam ab his, quæ extrinsecus promoventur, pro sua auctoritate salvet & muniat. Inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali & propria commendatione in tutelam ejusdem Sedis Apostolicæ se contulerunt, ut speciali charitate & studio suæ Matris amplexæ usquequaque securiores, & liberiores ab omni infestatione consistenter: quas, ut dignum erat, ita Romana suscepit Ecclesiæ, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi Viri reliquerunt, qui ante nos in illa, quam diximus, Apostolica Sede fulgentes, pro honore Ecclesiarum Dei, & exaltatione earum magis, quam pro vita aut salute sua, solliciti fuerunt, suscipientes Monasteria, & venerabilia loca in patrocinium Apostolicæ defensionis, & confirmantes ea propriis privilegiis; quatenus ex quotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ servitutis, & in omni bono proficerent. Qua in re quam pie, quam sancte fecerunt, & illorum nobis ostendit gloria, & in ipsius rei tam fructuosa gratia; Nam cum Oratoria in pace, & tranquillitate consistunt, & ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, tum vero laus Deo digne promitur, & remedia peccatorum, tam vivis quam defunctis impenditur. Unde nos in eadem Apostolica Sede non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum Monasterium, cui tu, dilecte fili & prænominate Abba, præesse dinosceris, tuo rogatu in tutelam Apostolicæ Sedis, & nostram Successorumque nostrorum defensionem suscepimus, confirmantesque, & corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii Ecclesiæ S. Mariæ super Auxonam sitam: Ecclesiæ S. Sulpicii super Mosam: cæterasque possessiones tam in villis quam Castellis, cæterisque Ecclesiis, & terris cultis & incultis, seu in omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quas nunc jure possidet. Videntur hic desiderari non pauca.

Monasterium Andagiense sub protectione Sedis Apostolicæ suscipitur; Eique bona omnia confirmantur.

LXI.

Abbatibus Cluniacensibus conceditur omnimoda jurisdictio super Monachis & Abbate Monasterii S. Benedicti ad Padum ejusdem Ordinis.

Ex Mabillon. in Append. ad Tom. V. Anal. Benedicti.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Hugoni venerabili Abbati Cluniacensis Monasterii, suisque successoribus, in perpetuum.

Exordium.

Uscepti nos officii cura compellit, venerabilibus locis, & precipue his quæ proprii juris sunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ, talem nostræ dispensationis adhibere diligentiam, ut in illis ea, maxime apostolicis privilegiis, & memorabili auctoritate firmentur, quæ ad sacre eruditionis studium, & ad religiosæ vitæ propositum, & diurnam spiritalis gratiæ edificationem potissimum valere noscuntur. Quapropter de spiritali gubernatione & statu Monasterii sancti Benedicti, consistentis inter litora Padi & Lariois fluminum, hujusmodi instituta sancire, & con-

firmare dignum duximus, ut nostra, quam semel impendimus, semper cum Dei adjutorio sollicitudo vigilet: & sicut in illo auctorum, a quibus constructum & Deo oblatum est, omni tempore devotio, fides vivit, & pietas, ita ad commune ipsorum, ac nostræ devotionis meritum, nostra ibidem providentia, Deo disponente, vivat, ac operetur auctoritas. Namque Monasterium, illud a Thedaldo illustri viro, patre Marchionis Bonifacii, constitutum est; traditum vero, & in proprium jus collatum beato Petro & ejus Apostolicæ Sedi, sicut & aliqua alia Monasteria tempore nostri Pontificatus, a Mathilde filia ejusdem Marchionis Bonifacii, quondam decreta & corroborata constitutione, sicut etiam in aliis, que ad communionem & confirmationem ejusdem loci fecimus, habetur privilegii: ut inde per singulos annos beato Petro, & ejus Apostolicæ Sedi, in præsentia Romani Pontificis, aut ejus Archilegati, Romæ, aut ubi ipse jusserit, octo diebus ante vel post Kal. Maii, idest Romanæ unciæ auri in pensione reddatur. Verum quia tu, dilectissime frater, & Abbas venerande, ad regendum illud idem Monasterium de Congregatione Cluniacensis Monasterii, cui Deo auctore præesse dignosceris, fratrem Vidonem nobis donasti, virum religiosum & prudenter edoctum, qui ibidem sacre Religionis formam atque doctrinam secundum regulam sancti Benedicti, & vestra conversationis consuetudinem, edoceret, & Deo auxiliante institueret; ne hujus adificationis vestigia in posterum deleantur, aut tui, frater spiritualis, germinis fructus per subrogationem alicujus extraneæ conversationis, & infœcundæ supplantationis aliquo deinceps tempore deficiat, vel occasione deperat, curam illius loci tibi tuisque successoribus in perpetuum in nostra vice committimus, ut in ejus gubernatione atque custodia nostræ sollicitudinis, tu, omnesque successores tui, & potestatem habeant, & studium procuracionis impendant. Decernimus etiam, ut obeunte ibi Abbate, vestra semper provideat diligentia, quatenus idonea, & huic officio digna, in loco regiminis secundum regulam S. Benedicti persona subrogetur, & quicquid in Monasterio ad augmentum & observationem monasticæ religionis institui vel emendari oportuerit, vestro semper magisterio & dispensatione administretur: salva quidem in omnibus auctoritate Sedis Apostolicæ, cujus juris locus ille esse dignoscitur: & cæteris, quæ de consecratione Abbatis, & fratrum Monasterii, necnon & aliorum ad id pertinentium, seu de reditione census, postremo de omni statu ejus in privilegiis, pro sua stabilitate & speciali munitione sibi concessis, decreta ac statuta firmavimus.

Monasterium S. Benedicti ad Padum juris Sedis Apostolicæ.

Census annuus ab eo Romanis Pontificibus solvendus.


Abbas Cluniacensis omnimoda jurisdictio super Monachos & Abbatem Monasterii hujus.

Salvo tamen jure Sedis Apostolicæ.

VICTOR TERTIUS.

PAPA CLVIII.

ANNO ERÆ CHRISTI COM. MLXXXVI.



Desiderius, ex Principibus Beneventanis, primum Monachus, mox Abbas Cassinensis, & S. R. E. Cardinalis Tit. S. Cecilia, fere vi adhibita (Cassinum enim aufugerat) in vitus semper ac renitens, in Diaconia S. Lucie die 24. Maii ann. 1086. electus est Pontifex, ac Victor Tertius appellatus; sed nonnisi die 9. Maii sequentis anni ecclesiastico more consecratus, & in Apostolica Sede locatus est (a). Sedit in Pontificatu imperantibus, in Oriente Alexio Comneno, in Occidente Henrico IV. ab electione annum unum menses iii. dies xxii. a consecratione vero menses iv. dies vii. (b). Obiit enim Cassini die 16. Septembris anno 1087. ibique sepultus est, primum in abside Capituli Monaste-

(a) Hinc factum dixerim, a nonnullis Sedis vacationi fere duos annos attributos (ut in Ms. Bernardi Guidonis), a die scilicet obitus Gregorii PP. VII. ad Victoris consecrationem numerandos: vel potius ad diem 27. Aprilis ann. 1087. qua die Victor, electione sua apud Capuam per Crucis & Purpure resumptionem confirmata, Cassini postmodum Pascha celebravit. (b) Ita Tertius ac sequentes quinque ex Catalogis Critic. Baronian. præfixis, Tresque alii Vignoliani, quibus tamen M. IV. D. VI. I. solummodo inscribitur, primo extremo a consecrationis die sumpto. Nescio tamen, quo iure Leo Ostiensis asserat, Victorem vixisse in Sede Apostolica ab ipso sua electionis exordio anno uno; quod quam computorum rationi contrarium sit, nemo non videt.

rii: mox sacra ejus ossa ex antiquo sepulcro in sacellum B. Bertharii translata sunt anno 1515. ac demum ibidem ad altaris dexteram partem recondita. Vacavit Sedes mens. v. dies xxvii. (c)

Confirmatio honorum omnium ad Ravellensem Ecclesiam spectantium.

Victor Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio Urso Ravellenensi Episcopo, in perpetuum.

Edidit. Egbell. Ital. Sac. 2. v. m. l.

Quandoquidem, superna disponente clementia, B. Petro Apostolorum Principi, ejusque successoribus, ubique gentium ordinandi, disponendi, regendi, & gubernandi Ecclesias a Deo est concessa potestas; nos quoque pro modulo nostro omnium Ecclesiarum sollicitudinem habentes, hoc, quod nostræ mentis arcano Dei miseratio inspiravit, jure disponente, regere, & gubernare satagimus. Quocirca, piis votis justisque postulationibus annuentes, concedimus tibi, frater & Coepiscopo noster Urse, tuisque successoribus in perpetuum, quicquid ad Ravellensem civitatem, Episcopali dignitatis honore noviter insignitam, vel pertinere ad præsens, vel quod etiam futuris temporibus juste acquiseritis, ut jure Episcopali honoris, retineatis, & possideatis. Si quis autem Rex, vel Marchio, vel Dux, vel Princeps, vel Patritius, vel Comes, vel Vicecomes, seu aliqua magna parvaque persona contra hanc nostri decreti sanctionem, agere præsumperit, primo quidem a Christi Corporis & Sanguinis communionem separatus deponatur, nisi satisfecerit, sed... malitia præstiterit, eum excommunicatum & damnatum esse censemus. Datum autem tibi tuisque successoribus liberam potestatem in Diocesi vestra absque alicujus contrarietate Crisma conficere, Ecclesias dedicare, Clericos ordinare, & quicquid Episcopatus est ordinis, celebrare.

Potestas ligandi & solvendi in Romanos Pontifices per Petrum derivata.

Bona omnia confirmantur ad perpetuum Episcoporum utium.

Datum Capuæ per manus... Signiensis Episcopi, Romanæ vero Ecclesiæ Bibliothecarii, anno ab Incarn. D. N. J. C. MLXXXVII. anno vero primo Pontificatus D. Victoris III. Papæ Indic. X.

Datum. 1087. Pontif. Victoris anno I.

(c) Sic legitur in Tertio ex Catalogis a Vignolio editis: Quartus vero, & Sextus ex Critic. Baron. præfixis, habent tantum M. v. D. XXV. exclusis fortasse extremis.